

regnatorem Asiae. iacet ingens litore truncus  
avolsumque umeris caput et sine nomine corpus.

At me tum primum saevos circumstetit horror.  
obstipui; subiit cari genitoris imago,  
ut regem aequaevom crudeli volnere vidi  
vitam exhalantem, subiit deserta Creusa  
et direpta domus et parvi casus Iuli.  
respicio et quae sit me circum copia lustro:  
deseruere omnes defessi et corpora saltu  
ad terram misere aut ignibus aegra dedere.

[Iamque adeo super unus eram, cum limina Vestae  
servantem et tacitam secreta in sede latenter  
Tyndarida adspicio; dant clara incendia lucem  
erranti passimque oculos per cuncta ferenti.  
illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros  
et Danaum poenam et deserti coniugis iras  
praemetuens, Troiae et patriae communis erinys,  
abdiderat sese atque aris invisa sedebat.  
exarsere ignes animo; subit ira cadentem  
ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas.  
'scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenias  
adspiciet partoque ibit regina triumpho,  
coniugiumque domumque patres natosque videbit,  
Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris,  
occiderit ferro Priamus, Troia arserit igni,  
Dardanium totiens sudarit sanguine litus?  
non ita. namque etsi nullum memorabile nomen  
feminea in poena est. habet haec victoria laudem  
extinxisse nefas tamen et sumpsisse merentis  
laudabor poenas, animumque explesse iuvabit  
ultricis famae et cineres satiasse meorum.'  
talia iactabam et furiata mente ferebar.]  
cum mihi se non ante oculis tam clara videndam  
obtulit et pura per noctem in luce refulsit  
alma parens, confessa deam qualisque videri  
caelicolis et quanta solet, dextraque prehensum  
continuit, roseoque haec insuper addidit ore:

560

585

570

575

580

585

590